

Simon Rettenpacher

‘Perfidia punita

seu

Perseus

**Vltimus Macedonum Rex a L. Aemilio Paulo
victus et in triumphum ductus’**

Tragoedia
(1683)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Oktober 2008

Argumentum

Vt omnia casui et ruinae obnoxia, sic etiam Regna et magna imperia. experta hoc Macedonia, victo ultimo suo Rege Perseo, in provinciae formam a Romanis redacta. pacem bello fractus Philippus coluerat, metu magis quam voluntate. Perseus Filius, rerum potitus ac opibus abundans, subdole primum agere, amicitiam simulare; mox faedus exuere, liberas civitates infestare vel occupare, socios Populi Romani perimere aut insidiis adgredi, veluti Eumenem Pergami Regem Delphos petentem, Evandro Cretensi scleris artifice, gravi vulnere afflixerat, necem meditatus. non tulit tantas iniurias Populus Romanus, sed opem implorantibus et occulta molimina deferentibus succurrere certus, Perseo bellum indixit; quod dubio eventu quatuor ferme annis gestum. Rex equestri praelio vitor extulerat animos, quos mox demisit, cum hostes in Macedoniam penetrassent. verum segni mora desidentibus Romanis Ducibus, tempus nactus est, quo se munimentis circumdaret et, positis per abrupta castris, Macedoniam armis ferroque ita vallaret, ut nullus ab hoste metus esset, donec L. Aemilius Paulus provinciam ingressus, prisca virtute et militari solertia Perseum profligaret. ingenti ergo clade prostratus, cum viginti millia Macedonum caesa, quinque capta essent, Pellam cum paucis, dein Amphipolin profugit. ibi postquam se ab omnibus desertum vidit, in maria insulamque Samothracen recessit, fretus celebri Religione, quasi templa et arae possent defendere, quem nec montes sui nec arma potuissent. sed hic quoque intutum asylum, hostili classe cuncta obsidente; praesertim ubi Evandrum, qui caedis in Eumenem prope perpetratae reus arguebatur, occidi iussit. eo enim facinore in unicum relictum amicum, omnium ab se alienavit animos. quare frustra fuga ad Cotym Regem Thracum tentata, destitutus a suis, Cn. Octavio cum Filio Philippo se tradidit; a quo ad Consulem L. Aemilium Paulum missus et Romam cum liberis in triumphum ductus est.

(Livius lib. 45, Florus lib. 2. c. 12)

Personae

Perseus	Rex Macedonum	Evander	Proceres
Philippus	Regis Filii	Didas	
Alexander		Androcles	
Clyte		Antigonus	
		Neon	
		Archidamus	
		Ion	

Amyntas	Pueri Regii	L. Atilius
Lysimachus		C. Octavius
Craterus		Oenopogon
Cassander		Teragyne
Nicostrata	Procerum Vxores	Caupo
Callinice		Venefica
Olympias		Tityrus
		Agrestes
Nepiophylax	ridiculus Strategus	Fortuna
Philopompus	Strategi Servus	Temeritas
Archilochus	Milites	Imprudentia
Menippus		Providentia
Logodaedalus		Consilium
Irus		Fortitudo
Hippobates		Mars
Codrus		Neptunus
Cenchrias		Vulcanus
Euctus	Pellae Praefectus	Audacia
Hippias	Cives e Macedonia	Terror
Milo		Pyracmon
Pantauchus		Dolor
Theondas	Samothraces	Laetitia
Cleobulus		Spes
Ephippus		Timor
Thrasothyles	Milites ignavi	Tempus
Phobomastyx		Virtus
Creontarchus		Vis
Ariophygas		Fama
L. Aemilius	Consul	Gloria
P. Scipio	Consulis Filius	Metus
Q. Fabius	Tribuni	Charon
Martius		Minos
Sulpicius		Iupiter
Popilius		Hercules
Sempronius		Nemesis
Decius		Iustitia
Crassus		Doryphorus
P. Lentulus		Satelles
A. Postumius		Praeco
A. Antonius		

Prologus

Fortuna, Temeritas, Imprudentia, Providentia,
Consilium, Fortitudo, Mars, Neptunus

Fortuna mari circumvecta, Temeritate ac Imprudentia stipata, suas vires iactat et Persen casui vicinum. compescit inanem gloriam divina Providentia, sublimi nube cum Consilio ac Fortitudine demissa; omnia enim caelesti nutu evenire, nil casu aut sorte. cui adstipulantur Mars ac Neptunus.

Fort.	Regia calco sceptra, tiaras Vertice demo, frango secures, Protero fasces, Tyrio lanas Murice tinctas sanguine fusco. Ite, sorores: Macedum Regem Deturbemus sede paterna.	5
Tem., Imp.	Gratum imperium. Macedum Regem Deturbemus sede paterna.	
Tem.	Hostibus audax sese opponet, Praecipi sed fugiet cursu.	10
Imp.	Parcet nummis, negliget arma Nec pronas in vota ciebit Procul excitas ad opem gentes.	
Fort.	Aurea nectent vincula captum.	
Tem.	Meruit saevus fratre perempto.	15
Imp.	Aequa reo tot scelerum paena.	
Fort.	Fortuna iubet, succumbat Rex Consulis armis.	
Prov.	Fortuna nihil: cuncta gubernat Dextra Tonantis. Persea franget Iovis imperio Romana manus.	20
Con.	Nostro auxilio Paulus dirum Et multorum caede cruentum Subiget Regem. Fortuna nihil.	
Fortit.	Robore nostro trepidum Persen Capiet Consul, milite forti Exuet armis. Fortuna nihil.	25
Mars	Sunt Romani Martia proles: Virtute mea clara tenebunt Sceptra Philippi. Fortuna nihil.	
Nept.	Praebeo blandum classibus aequor Et Romulidum castra favore Impleo nostro. Fortuna nihil.	30

Prov. Omnia caeli regna potestas
Erigit, auget; diruit, aufert
Miscetque vices. Fortuna nihil. 35

Actus primus

Scena prima

Marcius, Sulpicius, Popilius, Sempronius

Romani Tribuni aegre concoquunt, tot iam annos durare bellum; culpam in Consules conserunt et bene sperant de L. Aemilio Paulo.

- | | | |
|-------|--|----|
| Marc. | Quam segniter bellum Imperatores trahunt!
Quam lenta nostri militis nunc est manus!
Iam signa caeli Phaebus emensus quater,
Aemathia nondum victa. quid fama interim?
Quid Populus et Senatus? | 40 |
| Sulp. | invisi sumus
Et strenue traducimur multis probris
Ab otiosa plebe. | |
| Pop. | nec Patres silent,
Fremitus ubique, murmur, indignatio. | |
| Semp. | Non culpa nostra, Consulum vanus tumor
Aut ambitus privatus Ausoniae rei
Parit ruinam. commeatum dum omnibus
Promiscue indulgent, an in castris frequens
Sit forte miles? | 45 |
| Marc. | cepimus quaedam oppida,
Intravimus Macedoniam; sed cui rei?
A Rege vafro copia haud pugnae datur.
Praesidia firmat, arcibus munit suos;
Ripis praealtis flumen in tuto locat. | |
| Sulp. | Qua parte penetramus? quis ostendet viam? | |
| Semp. | Industria et prudentia invicti Ducis. | 55 |
| Pop. | Res rara. cygnum citius invenias nigrum. | |
| Semp. | Aemilius arte militari vix parem
Agnoscit, hic sortitus Aemathiae iuga. | |
| Sulp. | Aemilius ergo Consul huc gressum feret?
Et castra figet? | |
| Pop. | copiis auctus novis
Regno propinquat; fors in hostili pedem
Iam fixit agro. | 60 |
| Marc. | magna spes Romam tenet
Victoriae ob Ductoris egregium decus. | |
| Semp. | Imperia dum non exuat caecus furor. | |
| Pop. | Vir gnarus undas regere commoti maris
Et aemulari moribus priscos patres. | 65 |

Marc.	Parere tanto Consuli quivis volet.	
Semp.	Praeclara mens praesagit et certum capit Omen triumphi. maximus Pauli vigor.	
Pop.	Superi secudent vota. iam victum auguror Regem superbum.	70
Sulp.	idem animus addicit mihi.	

Scena secunda

Perseus, Didas, Androcles, Evander, Antigonus, Archidamus, Neon

Perseus cum Proceribus de bello consultat et in castra festinat.

Pers.	Bellare cogor pace sperata licet. Romanus hostis faederi haud praebet locum: Fremit Senatus, arma cum Populo expedit. Legatio a me missa nil quidquam iuvat, Abire iussa et Vrbe et Ausonia dies Ad praestitutos.	75
Did.	undenam tantus tumor Post pugnam equestrem? victus an pacem abnuit?	
And.	Romana nunquam cedit ambitio, licet Attrita crebris cladibus fuerit.	
Pers.	vigor Constantis animi, robur indomitum metu Trepidare non levi adigit impavidos quoque.	80
Evan.	Insanus eximendus est armis furor. Si saepius concidis et ferro premis, Servare discent pacta meliori fide.	
Anti.	Vis magna Romae. faedere innexos habet Plerosque Reges, plurimas gentes regit Aut illigatas vinclo amicitiae tenet.	85
Arch.	Metu coacti iussa pars maior facit: Adime timorem, subtrahet collum iugo.	
Pers.	Tentanda rursus alea, impellam Iove Favente molem maximi imperii.	90
Neon	ruet Convulsa tandem funditus, saxum ut solet E monte praeceps cadere subversum imbribus.	
Did.	Non sustinebit impetum equitatus semel Perculus hostis, horridum aut hastis feret Agmen phalangis.	95

And.	montibus suetus tuus Iugisque miles promptius decurrere Nec cogitantem opprimere Romanum potest.	
Anti.	Consilia cauta fervidis praestant. fame Domare poteris forte, quos ferro nequis. Exclude commeatu et armata obside Itinera turma, ne dapes socii advehant.	100
Evan.	Ignava verba! quid Ducem fortem deceat? An desidebit otio totos dies?	105
Neon	Bellare caute ratio sit sane optima; Sed miles exercendus incursu tamen.	
Arch.	Vt prima sunt initia, sic plures solent Ferme ominari de futuris. si tua Victoria est equestris, audaci pede Contende, quo Fortuna, quo impellit Deus.	110
Pers.	Parati adeste: castra Dux vester petet. Aequus favebit regiae causae Tonans.	

Scena tertia

Amyntas, Craterus, Lysimachus, Nepiophylax, Philopompus

Regii pueri ad militiam se accingunt, abituri cum Rege; quos Nepiophylax periculum enumeratione retinere frustra conatur. ipse vero persuadetur, ut arma induat et hosti occurrat.

Amy.	In castra Rex festinat ac turmas graves Romanum in hostem ducet, ut regnum augeat Novo decore, Consulis fractis minis.	115
Crat.	Quid nos? sequi iubemur? an semper lubet Ignobili haerere otio? ingrata est quies, Placet tumultus; turba castrensis iuvat.	
Lys.	Stipare Regem, gloriam summam arbitror. In urbe, cum discedet, haud nectam moras. Ibo, ibo, quo me Martius ducet furor.	120
Amy.	Pugnabo pariter; dextra quid possit mea, Hostis videbit: impetu sternam omnia, Etsi simul prosternar; haud timeo mori,	
Lys.	Dum non inultus occidam. mentem incitat Magnos in ausus ardor. in ferrum ruam, Necessitas quocunque deposcit loco.	125

Crat.	Regemne solus deseram Pellae latens? Non vile pectus, animus ignavus mihi: Vt flamma in altum surgit et terram fugit, Generosa sic mens tendit ad summum decus Culmenque honoris.	130
Lys.	ergo sic visum omnibus, Inferre castris cum Duce armatos pedem?	
Amy.	Invadere ense, spicula hostiles globos.	135
Crat.	Concurrere acie, fundere ac letho dare.	
Nep.	Sunt magna, quae molitur aetas tam brevis.	
Philo.	Vis saepe parvis vasta corporibus latet.	
Nep.	Quo vos pusilla turba, quo gladius feret?	
Amy.	In castra Regem gloria extimulat sequi.	140
Nep.	Ne, quaeso, ne tam lubrico discrimini. Ibi tela et enses, spicula, sagittae; fames, Sitis, aestus, arcus ac pharetrae, hastae, mucro; Mors, mille morborum genera, plagae, cruces.	
Philo.	Sine, moriantur, vita queis pretio levii.	145
Nep.	Perire stirpem Principum ac Regum piget.	
Crat.	Lex aequa mortis: Atropos nullum eximit.	
Nep.	In flore tamen aetatis occidere est grave.	
Lys.	Virtute fultus inclyta nunquam occidit.	
Nep.	Persuadeor ferme, ut meum pugnae simul Martique corpus obiiciam et arma induam.	150
Philo.	Quam pulchra res, cum baltheo incinges latus?	
Nep.	Afferite gladios, spicula atque hastam brevi Mucrone acutam.	
Philo.	iam avolo et pronus tua Mandata adoro.	
Nep.	fortiter si me geram, Quid fiet ex me?	155
Amy.	Regulus vel Dux gregis Invictus, audax.	
Nep.	Dux ego? exosa est mora. Iam capio scutum, tela iam gestat manus. Sic dimicabo, castra sic animo ferox Adgrediar atque uno impetu. Alcidem vides.	160
	Ferrumne laesit? sanguis an nondum fluit? Cado. sed acri praelio ulciscar necem. Iam feror in hostem.	
Philo.	victor e bello redit.	
Amy.	At nos agamus, quod iubet mentis calor.	

Scena quarta

Nepiophylax, Philopompus, Androcles, Callinice,
Antigonus, Nicostrata, Olympias

Nicostrata et Callinice maritis valedicunt ac illorum abitum deplorant. Olympias sponsum suum in castris visere statuit, cuius consilium probat et strenue adiuvat Nepiophylax.

- | | | |
|-------|--|-----|
| Nico. | Igitur abire est animus et fortem sequi
In castra Regem? | 165 |
| And. | iuissa sic urgent Ducis. | |
| Call. | Non coniugis praesentia posthac fruar? | |
| Anti. | Male ominatis parce verbis; post fugam
Redibo caedemque hostium. | |
| Call. | o faxit polus! | |
| | Quam metuo, ne maerore, ne luctu obruar,
Si praelio ... horret animus, ac lingua eloqui
Nescit pavore, quod incubat menti malum. | 170 |
| Anti. | Sperare iusta semper a Superis, pium. | |
| Nico. | Spes saepe fallit improba et damno gravi,
Quicunque fidunt, opprimit: veluti mare,
Dum lenis aura crispatur et tenui citat
Vndas quietas flamine, inopino furit
Aquilone motum et mergit incautas rates. | 175 |
| And. | Prudentia haud vacillat instabili gradu
Nec subdola spe nisa sic credit sibi,
Vt omnia, ubi res poscit, haud libret simul.
Hinc certa nos consilia, non levitas movet. | 180 |
| Olym. | Casus frequenter ingerens sese, optime
Provisa turbat. | |
| Anti. | miles an casum timet
Accinctus armis? cuncta praecepi prius. | 185 |
| Call. | Ne crede vitam Martis ambiguae aleae;
In urbe persta, coniugem afflictam fove. | |
| Anti. | Vt fila ducam faeminarum inter greges?
Qui tela spargit, texere an telam queat? | |
| Olym. | Certare cursu libeat atque armis domi. | 190 |
| And. | An ludicro certamine, hostis dum premit? | |
| Nico. | O fata? non ergo lacrymae aut flectunt preces?
Deserimur ac dividimur? o tristem diem! | |
| Olym. | Tres ante menses sponsus abscessit meus:
Quando redditurus? | |
| And. | gloria et opimis gravis
Spoliis reviset regias turres brevi. | 195 |

- | | | |
|--------|--|-----|
| Nep. | Suspecta ne sis, barba succrescat genis,
Lanugo inumbret ora. | |
| Olym. | pingas, si potes. | 235 |
| Nep. | Puer, huc colores. pictor eximus vocor.
Sic, sic iuvabit. lilia et dulces rosae,
Ignoscite. o lanugo praestantissima!
O blanda barba! iuvenis o tenerum iubar.
Iam vise castra. militum nemo arguet. | |
| Olym. | E praelio reversa Numinibus pares
Habebo grates. | 240 |
| Nep. | perge felici pede. | |
| Philo. | Augere Regis sic erit facilis labor
Nobis cohortes, faeminarum si phalanx
Intrepida conscribatur. | |
| Nep. | incaeptum haud male.
Sed plura nobis suggeret longus dies. | 245 |

Chorus

Mars, Audacia, Terror, Mulciber, Pyracmon

*Mars Vulcanum ad arma cudenda hortatur; qui confestim obsequitur et cum Cyclopi-
bus tela et enses fabricatur*

- | | | |
|-------------------|---|-----|
| Mars | Mulciber, gradu citato,
Claudicante crure praeceps,
Huc vola, Parens Deorum,
Atque ego sic impero. | 250 |
| Aud. | Ense, telis ac sagittis
Indigemus, advola. | |
| Terr. | Ferreas simul catenas,
Dira necte vincula. | |
| Aud. | Quid moraris? a camino
Non licet recedere? | 255 |
| Mars, Aud., Terr. | Ense, telis ac sagittis
Indigemus, advola. | |
| Mul. | Regna sunt devota nostra
Et manus tuis dicatae
Vsibus, frater. quid arma,
Quid iubemur cudere? | 260 |
| Mars | Tela, spicula et sarissas
Ocyus mihi expedi. | |

Terr.	Pila, mucrones et enses Terror a te postulat.	265
Mul.	Dira iussa defatigant Quot manus laboribus?	
Mars, Aud., Terr.	Tela, spicula et sarissas Ocyus mihi expedi.	270
Mul.	Convola iam, nigra turba; Lenta tende brachia. Cude pila cum sagittis, Saeva cude spicula.	
Pyr.	Tollimus tardo lacertos Impigri nisu; Tonantis Imperata non moramur. Fabricemus fulmina?	275
Mul.	Tela, pila cum sarissis.	
Pyr.	Fabricemus spicula.	280
Mars, Aud., Terr.	Tela, pila cum sarissis; Fabricate spicula.	
Mul., Pyr.	Tela, pila cum sarissis; Fabricemus spicula.	

Actus secundus

Scena prima

Perseus, Didas, Evander, Neon, Archidamus

Per sen dubium et belli casus formidantem consiliis instruunt ac erigunt Proceres.

Pers.	Fortuna belli semper ancipiti in loco est, Mars dubius ac incertus. interdum erigit, Quem pressit ante; cuique porrexit manum, Sternit repente, more spumantis sali, In astra quod nunc tollit undarum minas, Ad ima nunc devolvit et vastum chaos.	285
Did.	Concidere nunquam mente constantem virum Aut militem decebit; a casu gravi Animum resumet atque maiore impetu Occurret hosti.	290
Pers.	pectus hinc urget metus, Hinc spes fovet. ne vulnere accepto mihi Romanus instet fortius, dirae ut ferae Plerumque peius saeviunt laesae, timor Haud vanus agitat. praelium at tutum prope Equestre reddit, copiarum ubi flos periit Ac cecidit Ausoniae iuventutis decus.	295
Evan.	Victoriam iam fama dispersit vaga. Erecta populi studia, nudata urbium In te voluntas. Graeciam in partes trahes Facile volentem, addicta vel neutri ut domi Sedens quiescat. Pergami Regem quoque Allicere certum est.	300
Neon	gentium exiguo potes Numero talentum reddere inimicum hostibus. Iam civitas praeclara Rhodiorum, tuis Ostricta semper commodis, Romae petit Pacem a Senatu; obtenta ni fuerit, sua Minatur arma iungere et, per quos stetit, Ne pangeretur faedus, invadet simul.	310
Pers.	Vrbs ista dudum innixa amicitiae meae; Et, ne recedat, cura legatis erit.	
Arch.	Cum Graecia tentare Thessaliam iuvet, Impellere animos melleis verbis leves, Abducere auro Principes, laetis vagum	315

	Lactare vulgus, omnibus promittere Omnia, licet praestare nil unquam velis.	
Pers.	Stipendia at decreta si forte urgeant?	320
Arch.	Iam gravia tempora, exsoluturum brevi, Suadere Ducibus poteris. interea levis Et litteris et nuntiis rumor volet, Tot copias venire subsidio tuis, Adesse tot gentes remotas, ut timor Regem vereri cogat aut dubios agat.	325
Pers.	Plerumque fama bella constant, et rudem In maius auctus distinet plebem furor. Forti igitur animo congredi inimicis iuvet. Praeibo Rex, ut militem exemplo incitem.	330

Scena secunda

Nepiophylax, Philopompus, Archilochus, Menippus, Irus,
Logodaedalus, Hippobates, Codrus, Cenchrias

Nepiophylax milites conscribit et ad pugnam erudit; quos Philopompus vano rumore, tanquam hostis adventet, terret, ut armis proiectis diffugiant. ipse spolia colligit.

Nep.	Ad arma, ad arma, si quibus patriae salus Regisque cordi. nomen intrepide suum Quemvis profari nostra maiestas iubet.	
Philo.	Omitte titulos regios, gravitas tua Contenta poterit esse plebeio probro.	335
Nep.	Quid vilitas contempta sic magnum Ducem? Debetur hic nobis honor, Regis vicem Dum fungimur. Strategus armatus levis Tibi res videtur?	
Philo.	arma sed quando indues?	
Nep.	Quod pene fueram oblitus. huc ensem ocyus Clypeumque et hastam.	340
Philo.	propero velocissime.	
Nep.	Dii Deaeque pessimo mactent malo. I, curre, propera, moneo.	
Philo.	iussus non moror.	
	Iam curro.	
Nep.	sic ludibrio imperium meum Patiar haberi? nemo se associat mihi? Nemone erit, qui Persei auspicium sequi	345

	Volet hoc Stratego? ignavus ac faedus pudor. Adeone concidere fracti animi omnium?	
Philo.	En arma, clypeum; baltheo nudum latus Praecinge, dextra concute hastam.	
Nep.	sic iuvat.	350
Philo.	O militem superbum!	
Nep.	an egregius satis?	
Philo.	Certare nolit ipse bellorum Pater.	
Nep.	Cur infrequentes milites stipant Ducem?	
Philo.	Rauco citabo tympano, haud fuerit mora, Quin magna parte confluat ab omni cohors.	355
Nep.	Properate, adeste. ad arma iam dudum voco.	
Arch.	Quis stentor iste? quod malum quaerit sibi?	
Nep.	Ego maximi sum Regis audacissimus, Fortissimus Strategus. hoc telo cade, Quod tam proterve claritudo sit tibi	360
	Derisa nostra.	
Arch.	non cado.	
Nep.	ferrum expedi,	
	Miles, trucida, iussa si spernit Ducis.	
Arch.	Nomen datus militiae fueram, nisi Perimere malles.	
Nep.	mittite ac libro addite.	
Arch.	Vocor Archilochus.	
Nep.	Archilogus.	
Arch.	Archilochus.	
Nep.	Cocus.	365
	Archicocus. omen haud malum.	
Arch.	Archilochus vocor.	
Nep.	Bene est. quod autem munus aut qualis gradus?	
Arch.	Divinus ego poëta, per septem dies Plerumque versus arte composui duos, Agiles, rotundos.	
Philo.	instar effaetae suis	370
	Aut saltitantis hirci.	
Arch.	enimuero mihi	
	Rivo perennis vena Castalidum fluit.	
Philo.	Cur arma vates sumis?	
Arch.	ah! curta est nimis	
	Domi supellex, horrida impellit fames.	
Men.	Iuva, Stratego, quaeso.	
Nep.	quid saevi accidit?	375
Men.	Horret animus referre nec constat sibi. O triste monstrum! mulier evulsit mihi Barbam fere omnem et crine nudavit caput.	
Nep.	Cur passus istud?	

Men.	fortior multo viris	
	Vxor trecentis. gratias magnas ago,	380
	Quod vivum abire siverit, ut operam locem	
	Regi potenti.	
Nep.	uxorius es. huc te admove.	
Irus	Oppressus inopia et fame nummos peto.	
Nep.	Quanti aestimas vitam tuam?	
Irus	centum aureis.	
Philo.	Procul facesse. drachma vix dabitur tibi.	385
Nep.	Admitte, drachmas sed decem numera. placet	
	Modestia ac incomptus ornatus viri.	
Irus	Sic credidi decere sapientem. toga	
	Et tenue membra pallium cingit mea;	
	Generosus animus, qui periculum, qui necem	390
	Non optat aut formidat.	
Nep.	haec sententia	
	Gravitate non indigna nostra.	
Philo.	sed fuga	
	Numquid reservas patriae fortem virum?	
Irus	Diffugio veloci gradu: equidem non nego.	
Nep.	Quid otiosi caeteri hic ducunt moras?	395
Log.	Augere animus est copias Regis mihi.	
Nep.	Quod nomen et virtus? quod officium? audiam.	
Log.	Sum rhetor et causidicus.	
Hip.	aedituus fui.	
Cod.	Agrestis atque agitare sum suetus boves.	
Cenc.	Sparta mihi patria.	
Philo.	gentis eximiae decus.	400
Cenc.	Vbi furta sunt honesta, si abscondas, nocent	
	Deprena. quid? piceata quoties haec manus	
	Egit triumphum? nunc vetant rigidi senes	
	Et civitate libera hanc artem exigunt.	
Nep.	Egregius hic vir militum ducet globum;	405
	Nam quisquis arte clepere non tardus fuit,	
	Hostem quoque adgredietur et praedas feret.	
	Nunc expedite tela, certamen iuvet.	
	Sic hasta, sic vibretur ensis.	
Cenc.	sic iubes?	
Nep.	Quam faede aberras.	
Cod.	optime. novi probe!	410
Nep.	Demens! agros invertimus? in altum erige.	
Cod.	Ad astra tollam.	
Nep.	iungite armatas manus.	
	O vos inertes!	
Philo.	figimus vestigia	
	Pedemque pede conferimus et manum manu.	

Nep.	Ludibria haec. sic iubeo, figatis gradum.	415
Philo.	Ignosce, Domine. abire iam nobis lubet.	
Nep.	Erebi propago, tenerum ut afflixit pedem? Est crimen ingens laesa maiestas Ducis. Sed istud aequus vindicet caelo Tonans. Vos interim sic agite, sic pugnam cie.	
Cod.	Sic tollo clypeum, in ora sic gladium fero.	420
Cenc.	Sic tu Strategum, ut nesciat posthac loqui?	
Nep.	Extrahite ferrum, caedere hostem sic iuvet.	
Philo.	Commilitones, hostis invadit, neci Addicit omnes, quotquot armis se tegunt.	
Cod.	Proiicimus, ut ne forte pereamus simul.	425
Nep.	Ignava pectora! Imperator sic levis?	
Philo.	Est omnium res vita praestantissima.	
Nep.	Necessitati cedere et Regem decet. Vires resumam citius, inimicus cadet.	
Philo.	Inanis iste rumor, haud vanus mihi. Nunc ipse spolia colligam ac armis fruar.	430

Scena tertia

Nicostrata, Callinice, Olympias

Nicostrata et Callinice tristem casum maritis timent; quibus se iungit Olympias et, quid in castra nuntiare iubent, exquirit.

Nico.	Iam Phaebus aequo dividens spatio diem Vmbras minores reddit et pulsat caput Maiore flamma; saevior maestae incubat Aerumna menti, gravius adcrescit malum. Nam quo maritus fata vitabit loco Cruenta, saeva, qualia - heu! - pinxit sopor?	435
Call.	Eadem premit me cura, par urget dolor. Bellum probrosum! materia diri nimis Faecunda luctus! filios matrum e sinu Avellis et coniugia violento secas Crudele ferro. vincla, quae nullus dies Abrumpat unquam, perfidus rumpit mucro.	440
Nico.	Amate coniunx, sic ad uxorem redis Transfossus ense pectus et telo impio Humeros adactus? militum durum genus!	445

	An nupta vos offendit atque ardor novus? Ah! parce amanti, mucro; me potius feri.	
Call.	Compesce gemitus: Androcles vivit tuus Nicostrataeque meminit.	450
Nico.	haud vivet diu; Et forte letho occumbet Antigonus pari.	
Call.	Quam maesta profers verba? pereat, si volet: Alium maritum quaerere est animus mihi. Nunquam viri omnes bellica clade occident.	455
Olym.	Consilia quae miscetis et premitis gravi Maerore corda?	
Nico.	coniugis ploro vicem.	
Olym.	In castra tendo: iussa dictabo Duci. Sed Androcli quid nuntio?	
Nico.	ut ne se uspiam Committat ulli praelio aut dubiae aleae.	460
Call.	Quid agis? in urbe tutius fuerit mori Aut vivere, hodie plurimi in castris viri. Non mitto. quid si Antigonus occumbat?	
Olym.	mihi Fortasse nubes?	
Nico.	frontis haud nosti decus?	
Call.	Armata virgo?	
Olym.	Palladis lauda aemulam.	465
	Sed ille, totum qui regit mundum, Puer Me bella, dulcem iussit et sponsum sequi.	
Call.	Amore nunquam in triste discrimen ferar.	
Nico.	Prodesse possim, haud terreat durus labor.	
Olym.	O vos amare nesciae! in pugnam ruo.	470

Scena quarta

Euctus, Amyntas, Craterus, Logodaedalus

Laetus nuntius adfertur Eucto Pellae Praefecto, gentium Illyriorum Regem et Eumenem Pergami a partibus Persei stare; castra adeo communita, ut discriminem nullum subsit. Regiam itaque laetitia complet et ad hilaritatem invitat.

Euct.	Fortuna rursus regias partes fovet. Romana quamvis multa moliri cohors Spargatur et aperire conari viam Pellam usque, communita militibus satis Sunt castra, ut oppugnare vis ulla haud queat.	475
-------	--	-----

- | | | |
|-------|---|-----|
| Amy. | Benigna causae fata meliori favent. | |
| Crat. | Reges tuentur Numina, et servat Tonans. | |
| Euct. | Rex Gentius persuasus auro nos iuvat,
Hostem lacessens. Eumenes fertur quoque
Ferire faedus, Graecia ut gentem Ausonum
Pellat superbam, liberet regnum metu. | 480 |
| | Clara Rhodiorum civitas pelago potens
Adiunget arma, si neget pacem ferox
Romae Senatus. forte sociabunt suas
Asiae Tyranni copias, ut ne inclyta,
Fraenare populos sueta diversos, ruat
Aemathia. | |
| Amy. | causa vertitur Regum omnium, | |
| | Ne crescat una gens et imponat iugum. | |
| Crat. | Frangenda cervix indomita, ferro tumor
Multandus, ut ne nostra ad imperium struat | 490 |
| | Gradum ruina. | |
| Euct. | generis humani luem
Perseus domabit, servitio colla eximet.
Confide, pubes, et Deos cantu cole
Festumque choreis laeta concelebra diem. | |
| Amy. | Iuvat imperata facere, dum mulcent fides. | 495 |
| Log. | Ad arma rursus propero, si victoria
Inclinet ad nos. verba Procerum me movent
Metuque gelidos spiritus iterum excitant. | |

Chorus

Dolor, Laetitia, Spes, Timor, Tempus

Laetitia Dolori, Spes Timori nexa se arcte complectuntur, quos Tempus dissociat. verum Dolor et Timor se brevi minantur reddituros.

Dol.	Ferreo nodo revincti Iungimur, soror. catenae Nemo nexus aeviternae Tentet unquam solvere.	500
Laet.	Vita tristi lege fati Gaudio et dolore mixta. Ordine hoc Summus Deorum Iussit aevum currere.	505
Spes	Inter undas et procellas, Inter aestus et furores, Sola Spes succurro fessis, Praebeo solatia.	510
Tim.	Assequor te, non recedo, Verteris quounque gressum. Me trahis tecum fideli ad Vsque tumbam faedere.	
Tem.	Segregò Tempus timorem Spemque solam fulcio. Gaudio demo dolorem Et procul luctum fugo.	515
Dol.	Crastino die reversus Vana tollo gaudia.	520
Tim.	Saevius Timor recurrens Concitabit pectora.	
Tem.	Nunc abire Tempus urget. Nil negate Tempori.	
Laet.	Expedita sum dolore. Vincet hostem Perseus.	525
Spes	Spes procul timore pulso, Fausta credit omnia.	
Tem., Laet., Spes	Lacrymas, luctum, timorem, Cuncta Tempus auferet.	530
Dol., Tim.	Lacrymas, luctum, timorem, Cuncta Tempus adferet.	

Actus tertius

Scena prima

L. Aemilius, Marcius, Sulpicius, Popilius,
Sempronius, P. Scipio, Q. Fabius

L. Aemilius in castra venit, militem officii sui admonet.

- | | | |
|-------|---|-----|
| Aem. | <p>Quod Marspiter, quod caelitum magnus Parens
Vobis Reique publicae vertat bene,
Pede Imperator castra non segni peto.
Auguria sunt secunda, vix bellum traham.</p> | 535 |
| Marc. | <p>Exercitus venisse laetatur Ducem.
Et inclyta victoria sperat brevi
Persen domandum.</p> | |
| Sulp. | <p>erecta sunt studia omnium,
Fervida voluntas; et velut caelo datum
Sibi arbitrantur Consulem Aemilium.</p> | 540 |
| Pop. | <p>Perspecta virtus, robur eximum rapit.</p> | |
| Semp. | <p>Quae fronte gravitas, quanta maiestas viro!</p> | |
| Aem. | <p>Paucis monebo militem officii sui.
Vos singulis edicite, ubi tardi omnia
Consilia non perceperint animo satis.</p> | 545 |
| Semp. | <p>Quodcunque Dux iubebit, effectum dabo.</p> | |
| Aem. | <p>Consulere turmis Imperatorem decet
Et providere cuncta solum. qua geri
Res possit arte, mente nunc statuet silens,</p> | 550 |
| | <p>Ad se vocatis nunc Tribunis. quos placet
Non advocare, dicta ne iacent sua,
Nec clanculum nec propalam. miles tria
Curare debet, corpore ut validissimo</p> | |
| | <p>Celerrimoque praeditus, pulchris quoque
Instructus armis, subitum ad imperium cibum
Habeat paratum. reliqua sed curae Diis
Suoque noverit Imperatori fore.</p> | 555 |
| Marc. | <p>Praecepta sancta!</p> | |
| Aem. | <p style="text-align: right;">milites, Ductor, vagis</p> <p>Rumoribus ubi aguntur, est sanum nihil
Ibi nec salutare aliquid. officium meum,
Occasionem ut praebeam vobis bene
Rei gerendae, sedulo implebo. cum erit
Signum datum, navate fortem operam mihi.</p> | 560 |

Scip.	Componere artus tempus est fessos, pater, Blanda quiete, ut validiori hostem impetu Recens lacesas.	565
Fab.	interim nostras iuvet Tentare vires, copiis stimulum addere Certamine brevi.	
Aem.	sed cave, ne quid nimis.	

Scena secunda

Sulpicius, Popilius, Sempronius, P. Scipio, Q. Fabius

Milites Romani ad praelium se parant et gladios in hostem acuunt.

Sulp.	Spes certa bellum posse finiri grave, Persen paterno, Consule hoc, regno exui.	570
Pop.	Cernere reversum censeo e priscis Ducem, Curium aut Fabricium aut paupere Camillum lare.	
Semp.	Quid facere deceat militem, haud scivi prius. Aemilius hodie docuit, ignarum imbuit.	
Scip.	At nos parare praelio vires iuvet, Pugnaeque praeludamus.	575
Fab.	ignavae piget Animum quietis. sidera ut nunquam poli Cessant moveri, ita ille perpetuum cupid Amatque motum; membra nec tardant sequi.	
Scip.	Stringatur ensis; fortius figam latus Persei rebellis, si arma librentur prius.	580
Fab.	Acuite gladios, milites; putrem situm Detergite hastis, pila iacentur manu, Si fama magni nominis mentem subit.	
Scip.	Micate telis, chara si patriae salus.	585
	Actum satis: curare iam corpus iuvet.	

Scena tertia

Perseus, Didas, Androcles, Antigonus, Neon

Perseus antiquae gloriae suos admonet, ad virtutem pristinam incitat et generosa maiorum facinora commemorat.

Pers.	Iam iacta Martis alea: intrepide ferum Excipiet hostem miles et vanum atteret Audax tumorem.	
Did.	pace cum oblata frui Nolit Senatus ac minis saevis agat, Petat coactus.	590
Pers.	arma non sumpsi prior, Ob civitates dicar invasas licet Rupisse faedus.	
And.	Roma dum infracta fide Socios tueri iactat, imperium sibi Acquirit orbis bellaque ex bellis serit, Reges ut omnes tollat et regna occupet.	595
Anti.	Premenda tanta Regibus pestis fuit, Inimica regnis funditus Respublica Vertenda; nunc ipsi adiuvant, monstrum colunt.	
Pers.	Hinc viribus decebit anniti omnibus, Vt exigamus Graecia et nostris iugum Cervicibus adimamus.	600
Neon	haud quisquam suis Parcet lacertis aut dabit sese in fugam. Calet iuventus omnis et Regi cupid Animum probare.	605
Pers.	militum prompta est manus, Victoriae spes certa, solamen mali.	
Did.	Assueta gens parere Ducibus, non volet Facere imperata Consulum, iusto iuvat Bello tueri regium fastigium.	610
Pers.	Quemcunque gloria, quem vetus stimulat decus, Maioribus dignam induat mentem suis, Augusta queis Europa et Aegyptus fuit. Transgressi in Asiam incognitum famae quoque Orbem aperuere; nec ante virtuti patrum Vincere negatum, quam rubro inclusis mari, Quod vincerent, defuerit.	615

And.	hos animos tuus, Magnanime Rex, in praelium secum adferet Exercitus, nec prodet ignavos timor.	
Pers.	Non de remota Perside aut Arabum ultimis Certamen oris, Regiam aut Cyri peto Infestus armis; tegitur Aemathiae latus, Quam tentat hostis premere devictam iugo Et servituti addicere, imperio suo Vicina ne sit ulla gens armis gravis,	620
	Ne Rex propinquus. tela, munita oppida Tradere coactis, iussa conveniet pati Superba, dura; absistere ubi bello placet, Nec vindicare patriam in antiquum statum.	625
Anti.	Sol ante surgens auferet mundo diem,	630
	Quam ponat arma, serviat Procerum cohors.	
Neon	Labentur ante sidera in caecum chaos, Quam bellum omittat, viribus fractis ruat Animosa pubes.	
Pers.	vestra coniuncta est meae Fortuna. vim vi pellite invicta manu.	635

Scena quarta

L. Aemilius, Popilius, Sempronius, P. Scipio, Perseus, Didas, Neon

Exercitus configunt: vincitur Perseus et acie profugit.

Aem.	Occasionem cautus elabi haud sinit Rei gerendae Ductor; at fessum viae Labore, quis discrimini exponat suum Exercitum Imperator? ignavissimus Fortem trucidet, defatigatum recens.	640
Pop.	Dum non recedat hostis, haud taedet morae.	
Semp.	Contracta pugna: Thraces in nostros ruunt. Rex ipse castris militum educit globum.	
Aem.	Properate, turmae; perfidum tela in Ducem Mittite, Quirites. praelium laeto impetu Animoque forti inite. validum Oenotriae Non sustinebit robur imbellis manus.	645
Scip.	Mens avida pugnae, sanguis in venis salit.	
Pers.	Huc, huc, cohors praeclera, festino gradu. Pellamus armis, servitutem qui meo	650

	Regno minantur. causa iam caelo satis Probata nostra.	
Did.	ruimus, exitio damus Gentem superbam.	
Neon	Consulis fastus cadat.	
Scip.	Infida pectora!	
Pop.	contumax, ferro, tumor, Procumbe.	
Pers.	perimite, caedite.	
Semp.	in Regem feror.	655
Pers.	O fata! quis metus urget?	
Did.	heu! cede aut peris.	
Scip.	En, fugit hostis. concito assector gradu.	
Semp.	Quo conglobati? quis locus pavidos teget?	
Pop.	Rarescit acies. iam tua est victoria.	
Aem.	Insiste, miles; terga fugientum preme.	660
Semp.	Cessere cuncti; ut pecora per saltus metu Et nemora properant attoniti, et undas pavor Quosdam subire iussit.	
Aem.	at Perseus via Qua fertur evasisse? quis condet specus?	
Pop.	Avia pererrat, et fugae rarus comes.	665
Aem.	Receptui canatur: atrato imminet Nox pallio.	
Semp.	plerique iam lassi ad suos In castra rediere.	
Aem.	optime factum. at meus Vbi natus? armis ne nimis fidat, velim.	
Pop.	Tenera est iuventus: facile nox lapsum gravi Periculo praecipitet. insequar et tibi Mecum reducam.	670
Aem.	gaudio afficies novo. Curare tempus corpora. ingentes ago Grates, Quirites! inclyti est vestris decus Partum triumphi viribus, ductu meo.	675
Scip.	Ignoscere, genitor, ardor abripuit; sequi Hostes volebam et penitus eversos dare.	
Aem.	O chare fili, laetor adventu tuo. At nocte nunquam persequi inimicum iuvet: Accidere possunt multa, quae damnum ferant.	680

Scena quinta

Thrasotyles, Phobomastix, Creontrarchus, Aenopogon, Ariophygus,
Nepiophylax, Philopompus, Menippus, Logodaedalus, Teragyne

*Milites trepidi in cella vinaria se abscondere desiderant, quos novo terrore complet
Nepiophylax; sed suo malo.*

- | | | |
|-------|--|-----|
| Thra. | Rigore quanto membra constrinxit gelu!
Formido saeva pectori nostro insidet.
Saevire tergo spicula atque enses adhuc
Videntur. ut Romana vis urget minax!
Tremo pavore. sequitur? o cessa, furor. | 685 |
| Phob. | Tam triste nunquam praelium aut dirum fuit.
Vix fugere licuit. cuncta delevit manus
Hostilis. arma, tela proieci omnia,
Ne praeda fierem, mole depressus gravi.
In posterum non me admovebo tam prope
Certamini. quod vivo, sint grates Diis. | 690 |
| Creo. | Vt ora torquet, ut coquit fauces sitis!
Infausta pugna! pessimus belli tumor!
Videre nunquam militem, nunquam Ducem
Posthac iuvabit. quam sitio! vinum huc cito. | 695 |
| Aen. | Merum venenum est, dum cales pugnae nimis
Fervore; potius frigidam pota. huc, puer,
Aquaे rigentis poculum. | |
| Ari. | hunc cyathum bibe. | |
| Creo. | Vinum haud nocebit. | |
| Aen. | viscera incendet, furet | |
| | Romana plus quam tela, quam fulmen Iovis,
Quam framea Martis. | 700 |
| Phob. | cura, ne mentem gravet,
Quod viscera exedat; intima invasit pavor,
Nunquam calori cedet. | |
| Ari. | et tantum pedes | |
| | Fugiendo fervent, frigidae semper manus. | |
| Thra. | Quum moliebar maximo pugnam ambitu,
Ille fugiebat maxime. | 705 |
| Creo. | quid me increpas,
Proterve, dictis? si prior debes tuis
Pedibus salutem? | |
| Aen. | quaeso, ne contendite. | |
| | Ambo estis eximii viri et pacis decus,
Ad bella non nati horrida et Martis minas. | 710 |

- Ari. Est saevus hostis, ense deturbat caput
Artusque truncat, nec preces ullaे movent.
- Nep. Huc, milites, ad arma, si famae sitis!
- Thra. Non famae inanis gloriaeve sitis, meri
Me torquet. ante mille potabo amphoras,
Quam tela spargam vel duo. 715
- Phil. insanum pecus!
- Nep. Quid, transfugae, molimini? quo vos metus?
Deprendo tandem. vinculis necte improbos.
- Phob. Quid proderit vincire? sat vincit pavor.
- Creo. Abi, profane, ni velis letho dari. 720
- Phil. Committones, ocyus forti huc gradu.
- Men. Nervos fugaces amputo, recido caput,
Parere ni tuo Imperatori lubet.
- Phob. Ah! desine. Imperator est terror meus.
- Log. Ignosce trepido. fors idem eveniet tibi.
- Nep. Ne parce, caede transfugam. haud quemquam decet
Deserere castra, destituere metu Ducem. 725
- Thra. Si fugit ipse Perseus celeri pede,
Quae culpa nostra, si sequi exemplum iuvat?
- Log. Occumbite ense, perfidi.
- Thra. haud libitum modo. 730
- Phil. Brevi libebit. Imperator sic iubet.
- Thra. Quid Imperator? si negent Superi manum,
Stygem ciebo. Tartari prodi specu,
Ferox Megaera. tardat et nectit moras?
Erumpe, maesta virgo. fors nubes secat
E praelio reversa, cum Persi comes
Haesit fidelis. desere infaustum Ducem
Et hoc vocata devola. 735
- Aen. heu, animus tremit!
- Ter. Quid fiet istud?
- Ter. prona in obsequium tuum
- Accurro semper.
- Thra. magnus extimulat dolor 740
- Ac ira pectus. Imperatorem abripe,
In Tartarum vel nubila ardentis poli.
- Ter. Nulla mora. sequere; quo fugit trepidus?
- Nep. perii!
- Carere melius pileo et galea reor
Quam vita et anima. tam gravi discrimini
Exposita nunquam nostra maiestas fuit.
Pavesco adhuc, cor palpitat tremulo metu.
Sed abire praestat, ne caput totum lues
Avellat audax. 745
- Phil. sequimur invictum Ducem.

- Aen. Quae larva nostras improba infestat domos?
Corripuit horror ossa. cedamus, puer. 750
 Thra. Victoria ingens quam levi pretio stetit!
Nunc strenue cum faece siccabo cados.

Chorus

Virtus, Vis, Mars, Fama, Gloria

Virtus et Vis, Mars atque Fama, cui plura Romani debeant, contendunt. prosternitur a Marte Fama, Vis a Virtute, quas tamen uterque rursus erigit. Gloria Virtuti laureum sertum imponit et Romam extollit.

- Vir. Romana gens debet mihi
Et gloriā et triumphos. 755
Expulsa terris omnibus,
Hic tuta conquiesco.
 Vis Vis sola populos extulit
Ad gloriae cacumen.
Romana, quamvis abnuas,
Hac nititur potestas.
 Mars Dum tela, dum gladii micant,
Dum pila cum sarissis,
Intrepida se Virtus mihi
Adiungit et ferocem
Compescit hostem praelio,
Victoria potitur. 765
 Fama Et Fama Martem promovet,
Dum multa vana spargit;
Rumoribus potentia
Romana saepe crevit.
 Vir. Persisto sola nec levis
Permutor instar aurae.
Vis mole praecipitat sua,
Et rumor exolescit. 770
 Fama Non Fama cedit tempori.
 Vis Vis mole non fatiscit.
 Mars Impelle, Virtus, dextera,
Dum tendo pronus arcum.
Sublata se sternet tuis
Vis pedibus ad triumphum. 775
 Vir. Et Fama telo corruet,
Si Martis urget ira.
780

	Testare, quod moles tua Devergat in ruinam.	785
Mars	Iam, Fama, posthac Martium Audax lacesse robur.	
Vis	Eversa sum, prostrata sum, Iam victa cedo palмam.	
Fama	Confossa Martis spiculo Recondar in sepulchro.	790
Glor.	Incinge lauro verticem, Me sic iubente, Virtus: Tu iuncta Marti gloriam Largiris et coronas.	
Vir.	Erigere Vim nobis datum; Me nulla Vis movebit.	795
Mars	Animare Famam, Martium Non dedecet vigorem.	
Fama	Nunc vivo Martis munere.	800
Vir.	Fatere te minorem.	
Vis	Erecta Virtutis manu.	
Mars	Posthac repende grates.	
Glor.	Virtute stat Respublica, Virtute Roma vincit.	805

Actus quartus

Scena prima

Perseus, Evander, Neon, Archidamus, Euctus,
Amyntas, Craterus, Lysimachus

Perseus a plerisque amicis desertus metu Pella digreditur et novas copias contrahere statuit.

Pers.	Ergo relinquor solus, et amici negant Vocati adesse?	
Evan.	gravior hinc nobis timor, Ne forte maius facinus in Regem audeant Hostique prodant.	
Neon	vulgus inconstans fidem Cum sorte mutat, maxime impulsum metu.	810
Pers.	Exercitu sum destitutus, vix Duce Pauci sequuntur. Regia expellor mea Vivus vidensque? o fata! quas terras petam, Si non licebit esse seculo domi?	
Arch.	Animum dolore, magne Rex, pressum erige Et damna laevae disce fortunae pati. Vento secundo quilibet navim regat, Adversa rectorem aura commendat ratis.	815
Euct.	Infida Procerum turba discedat licet, Operam fidelem nostra praestabit manus.	820
Pers.	At metuo, casu ne opprimam cunctos meo.	
Evan.	Abire praestat oppido incertae spei Dubiaeque fidei. facile dispersas potes Colligere vires Amphipoli et auctas novo Numero parare. auxilia Bisaltae dabunt Pretio rogati.	825
Euct.	contrahere turmas iuvet Omnes in unum. praelio fractus semel An victus etiam bello? in Aemathia tua Praesidia multa, valida sunt Thracum agmina.	
Pers.	Tentabo rursus Martis ambigi aleam, Si militem collegero reversum e fuga. Pellam tuere. fida amicorum, latus Stipate, turba. fata monstrabunt viam.	830

- Amy. Quid nos? in urbe Rege digresso haud lubet
Vltra morari: in castra comitabor Ducem. 835
- Crat. Quocunque tendat Perseus, iungar comes.
Mea salute gratior Regis salus.
- Lys. Properate. nati Principum nunquam Ducem
Deserere sueti aut se eximere cladi omnium.

Scena secunda

Fama, Hippias, Milo, Pantauchus, Euctus, Metus, Cassander

Fama victoriam ubique spargit; trepidant Macedones et inter fidem timoremque fluctuant.

- Fama Audite, quotquot Aemathia tellus alit, 840
Qui Thessalis, qui Thracibus contermini,
Qui proximi Epiri accolis atque Illyri,
Rex clade Perseus victus ingenti domo
In insulas profugit extremi maris.
Capti aut perempti milites, pauci fuga 845
Abiere salvi. Consul immitti manu
Exurit agros, vastat et praedas agit
Vbique. ni praeveniat obsequium minas,
Periere cuncta; saevit immanis, ferox.
- Hipp. Quis horror artus? Perseum victimum audio. 850
- Milo Est fama constans, caede prostratum gravi
Regno excidisse, exercitu amisso, Ducem.
- Pant. Quid ergo? nos dedemus, an bellum placet
Pro patriae salute, pro aris et focis?
- Euct. Adstricta Regi iureiurando fides 855
Pugnare nos patriaeque libertas iubet.
- Hipp. Opponere arma tam potenti qui iuvat
Hosti et gravi? an ut atrociori nos premat,
Si frangat iterum, servitute?
- Euct. fidem Duci
Servare pulchrum, reliqua provideat Deus. 860
Romana vis, si copiae adveniant novae,
Facile repelli poterit et genti decus
Reddi Macedonum; praelio, quaeso, unico
Ne concidamus.

Pant.	ingerit Consul minas: Nisi imperata facimus, omnibus exuet Agris et arvis, oppida exitio dabit.	
Euct.	Sunt arma nobis, flos iuventutis domi: Cur patriam prodamus et Regem metu?	865
Milo	Prodesse possim, victima - ah! - caderem libens. Necessitas sed dura nunc aliud monet. Est nota virtus hostium et robur mihi.	
Euct.	Et saepe Roma victa.	870
Milo	maiori tamen Resumpsit arma gloria atque animo stetit Infracta semper.	
Euct.	Annibal pressit diu.	
Milo	Opprimere nunquam potuit. a casu ferox Carthaginem subegit et leges tulit Animosa Poenis.	875
Euct.	plurimis turbis domi Agitata dirae proxima ruinae fuit.	
Milo	Emersit et caput altius motu extulit.	
Euct.	Verum fatebor: terror invicti tenet Et me Senatus, non tamen rumpam fidem.	880
Met.	Labare paulatim incipit, subito cadet A me subactus. viribus nullis opus.	
Hip.	Quid credis autem? mente quid volvis tua, Si Consul arma propius admoveat furens?	
Met.	Iam subeo membra, pectus et totum occupo.	885
Euct.	Moenia tueri, facinus est pulchrum quidem; Sed milite, armis, commeatu non satis Instructa Pella. vix moras hostis trahet, Quin veniat ac diripiatur. o dirum malum!	
Met.	Iam caepita strenue urgeo, invado intima.	
Pant.	Si dedis urbem, nullus insontes necat.	
	Tueris armis? civium exundat crux.	
Euct.	Ambiguus haeret animus, haud turpi metu Odiove ductus; cuncta sed libratur prius.	895
	Servare vitam plurium praestat tamen Quam concitare Paulum ad excidium ultimum.	
Met.	Speciosa dicta! civium eximum salus Est velum et urbis; causa sed solus metus.	
Cass.	Ignava corda! sic timor mentem occupat, Vt nemo fidei, nullus obsequii memor Pro Rege vibret arma? non ita ego: Stygem Prius subibo, quam Ducem linquam meum.	900

Scena tertia

Nicostrata, Callinice, Olympias

*Nicostrata et Callinice, audita victoriae fama, tot egregios viros cecidisse queruntur.
cladem Olympias e praelio reversa confirmat et luctum auget.*

- | | | |
|-------|--|-----|
| Nico. | Quis rumor aures pepulit infelix meas?
Occidimus omnes? Perseo stragem ultimam
Hostis cruentus intulit? paucos fuga
Eripuit, et maritus occisus iacet? | 905 |
| Call. | O dura fata! periit et coniunx meus
Tristi duello; rarus e castris domum
Miles reversus. unica quo hausit viros
Nefanda pugna? copias quis nunc novas? | 910 |
| Nico. | Hoc est, quod oculi sponte manarunt mihi
Fletu frequenti, maestus hoc monuit sopor.
Subtrahere se certamini iussi tamen,
Cavere tela. imperia contempsit ferox. | 915 |
| Call. | Pro Rege dum audax praelium Antigonus ciet
Aciemque dubiam robore retentat suo,
Mucrone diro colla transfixus cadit. | |
| Nico. | Est mortis ignotum genus; solum audio
Cecidisse sponsum. | |
| Call. | fertur huc trepidi gradu
Olympias, iam certa discemus, redux.
Cur sola festinas sine marito domum? | 920 |
| Olym. | Ah, parce quaerere! pectus ingenti labat
Dolore quassum. vixit - heu! - coniunx meus!
Tegere cadentem corpore volebam, haud ferus
Permisit hostis. arma iuverunt nihil, | 925 |
| | Nil scutum et hasta; misera vix potui pedem
E praelio referre. | |
| Nico. | quod fatum mei,
Soror, mariti? vivit? | |
| Olym. | infausto iubes
Onerare mentem nuntio: ad plures abiit. | 930 |
| Nico. | Non fama inanis ergo, non rumor fuit.
Quid agam relicta? lacrymae ex aequo meos
Dirusque posthac divident annos dolor,
Post fata donec coniuge recepto fruar. | |
| Olym. | Amore nunquam tangar alterius viri,
Sed maesta viduos virgo servabo toros. | 935 |

Call. Quis credat hoc? post quatuor nubent dies.
 Severa nimis exempla quis cupiat sequi
 Aetate nostra? sponsus occiderit meus,
 Maerore vitam haud finiam aut luctu tamen.

940

Scena quarta

Sulpicius, Popilius, Sempronius, Phobomastix,
 Creontarchus, Archilochus

Romani milites in sylvis venantur hostes et undique e latebris extrahunt.

Sulp. Venatio instituenda nobis et nigro
 E nemore praeda agenda. nam Regem audio
 Petuisse sylvas; forte scrutari abditas
 Dabitur latebras.

Pop. Regiam Perseus adiit
 Rursusque fugit, haud satis fisus suis.

945

Semp. Plures silenti conditos retraham specu.
 Si cingere lubet antra, prodibunt ferae
 Fame coactae.

Pop. milites ramis latent
 Vmbrisque perculti arborum.

Semp. ferro iuvat
 Lustrare cuncta: nullus evadat. cohors,
 Praecinge saltum.

950

Sulp. si quis imploret fidem
 Populi Quiritum, vita donetur. rigor
 Est temperandus leniter clementia.

Pop. Haec sola virtus, quae Diis reddit pares.
 Phob. Magnanime Ductor, parce fugienti, precor.
 Nunquam arma posthac induam, nunquam amplius
 Spargam cruentum.

955

Pop. ignosce. non equidem reor
 Quemquam occidisse istius ignava manu.

Creo. Me gloria eadem liberat et idem favor.
 Vix pugna coepit; sanguinem innocuum ferox
 Clarumque ne fors funderem, audenti pede
 Acie profugi, sicut, audito cane,
 Lepus tremens pavore.

960

Semp.	constantem virum, Properare gnarum! si viatoris dares, Legate, munus, haud aberrare autem.	
Arch.	Vt pedibus olim carmina instruxi probe, Sic malo pedibus gerere bellum quam manu. Proinde te oro, ne mihi quidquam imputes, Ob praelium bene aut secus gestum. haud enim Fusum intueri sanguinem nobis licet,	965
	Horrone pectus quatitur, et linquit calor.	
Sulp.	Ne caede, miles, deditos; Consul vetat: In castra captos ducere et reliquos fuga Hostes retractos perimere armatos iubet.	970

Scena quinta

L. Aemilius, Marcius, P. Scipio, Hippias, Milo, Pantauchus, Euctus

Plerique Macedones se suasque urbes L. Aemilio tradunt.

Aem.	Rumore pugnae territa adversae, brevi Aemathia cedet in potestatem meam.	975
Marc.	Castella et arcus, oppida exspectant tua Mandata, Consul. nemo post cladem asperam Resistere audet.	
Scip.	sicut, ubi fulcrum ruit, Quo latera nituntur domus, secum trahit Molem in ruinam et sternit ingenti sono, Sic cuncta nunc exercitu amisso cadent, Quae militari robore steterunt prius Suffulta et inconcussa.	980
Aem.	quam fragili rota Fortuna ludit! magna momento occidunt! Quod longa composuit dies, regnum unica Pene hora vertit, Perseo sceptrum abstulit.	985
Marc.	Sed ecce, legati urbium affatus petunt Consulis et oleae praefrerunt ramos manu.	
Scip.	Pacem reposcent seque permittent Duci.	990
Hip.	Vir maxime, urbem genua complexi tua Nostram Beraeam dedimus, nondum ultimo Metu coacti. parcere innocuis velis, Rogamus omnes. qua fide Regum tullit Imperia, eadem iussa Romani feret	

	Impigra Senatus. Perseus casu gravi Prostratus, at solamen a vobis habet Victum esse.	
Mil.	nulli Macedonum cessit vigor, Virtute vestra et robore infracto est minor.	
Pant.	Oramus itaque, pace superatis frui Liceat cupita. vos quidem domini omnium, Ignoscere at pulcherimum; et paenae satis, Cernere precantes, arma qui contra prius Romam gerebant.	1000
Aem.	nota iam pietas Ducum Populi Quiritum: Consul hanc legem sequar, Quam pene dictavere maiores mihi; Quicunque se permiserit et urbem suam, Sit amicus et veniam impetrat plebi quoque.	1005
Scip.	Beraea salva: sponte venistis. parens Tam prompta nunquam obsequia generosa sinet Abire mente.	1010
Marc.	si sequi exemplum volent Munita caetera oppida, saluti suaे Prospicere possunt; si experiri vim lubet, Direpta ferrum exscindet, ac flamma hauriet.	
Euct.	Vrbi relictus regiae custos, tibi Nunc trado Pellam; cuius egregia est Diis Probata virtus, maximo et forti nimis Cum Rege victo exercitu. urbi sed precor Parcas vetustae, quae tuum in censem venit.	1015
Aem.	Deditio commoda. grator hanc mentem, inclytam Et civitatem grator incolumem. ocyus, Legati, adite traditas urbes, furens Ne forte damno miles afficiat gravi.	1020
Euct.	Paterna cura! subesse Romanis iuvat.	

Scena sexta

Charon, Minos, Tityrus, Corydon, Logodaedalus,
Hippobates, Decius, Crassus

*Agrestes ad tribunal Minois milites de crudelitate accusant; quos a Charonte transve-
ctos pro meritis aut punit aut absolvit iudex. rustici Charontem etiam iuvare iubentur,
ne otio diffluant.*

Char.	Quam magna turba navitae exspectat manum? Ripa tot ulteriore stant umbrae, integro Quas mense nequeat transvehere fessus senex. Hos sisto nunc viros tribunali tuo: Iustas querelas audias, mores probes.	1025
Min.	Quae patria vestra? qui penates? quod genus?	1030
Tit.	Est regio procul hinc dissita, Aemoniam vocant.	
Cory.	Aemathia me produxit, ad duros fere Natum labores.	
Tit.	colere faecundos pater Me iussit agros; militum pepulit furor.	
Min.	Cives fuere vel peregrini?	
Tit.	haud scio.	1035
	Distinguere adeo non licuit; hostes sine Dubio fuerunt.	
Cory.	rusticis nullus favet E militum cohorte; se dicant licet Nostros amicos, cuncta diripiunt, necant, Mactant, trucidant. pessima haec agris lues Et oppidis minoribus.	1040
Tit.	casum meum, Verende iudex, percipe et, quanta, vide, Strage impotentes saeviant.	
Min.	narra, audiam.	
Tit.	Opibus vigebam, pauperi quantum satis: Faecunda coniux, liberi septem domi; Frugibus opimis, more consueto, ferax Ager tumebat. turba cum ferro minax Invadit arva, perdit ac radicitus Evastat omnia. curro in auxilium mei Demens agelli; vulnere inflicto, gradu	1045
	Properat citato, coniugem abducit, domum Cum liberis incendit. aegrum vix trahens Consurgo corpus, cum novo in terram cado Vulnere peremptus et nigrum subeo specum.	
Min.	Indigna res! quid milites autem tibi?	1050
		1055

- Cory. Nudum, trementem, rebus exutum omnibus
 Vinxere celsae ad arboris ramum ultimum;
 Et sic perire frigore coactus fui,
 Fame sitique. vindica tantum nefas;
 Minos severe, militum puni gregem. 1060
- Min. Nostine vultum et ora latronum fera,
 Huc cum ferentur?
- Cory. nosse me quosdam arbitror.
- Char. Estis feroce? iustus hic Minos sedet,
 Qui saeva plectit crimina et flecti nequit.
- Tit. Hic ille, qui vastavit agros et domum
 Incendit. 1065
- Cory. iste, pendulum celsa trabe
 Qui spiritum diffundere coegit furens.
- Log. Quae regio mendax protulit monstrum? locum
 Quem praedo defamavit impuro halitu?
- Cory. Sic alloquuntur rusticos dirum in modum. 1070
- Log. Cum rusticis civiliter agere vel loqui
 Dementiam extremam reor. nunc, quae tibi
 Patria, profare.
- Cory. Aemathia fertur.
- Log. quo pedem
 Nunquam intuli: nullum ergo tibi damnum dedi.
- Cory. Sic ora, sic oculos ferebat, sic minax
 Vultu videbatur, catena qui manus
 Pedesque vinxit et egit in celsam arborem. 1075
- Log. Mendaciorum colaphus est merces sonans,
 Proterve; posthac militem insontem argue.
- Cory. Haec pateris, aequus haec vides iudex probra?
- Min. Petulantiam sedare momento haud lubet.
 Cum tu probatione deficias, reus
 Nihil fatetur. 1080
- Cory. omnia armati negant,
 Sint clariora luce Phaebea licet.
- Min. Verum expriment tormenta. fraudes non latent
 Vnquam nocentum. quae tibi accusatio?
- Tit. Paenas reposco caedis, exustae domus.
- Hipp. Egone caedis damner, incensae domus?
 Perimere qui vix ausus aut muscam aut canem?
 Clemens in omnes, mitis etiam hosti fui. 1090
- Hinc ante pugnam fugere decretum mihi,
 Ne laederem, ne occiderem innocuos viros;
 Et caesus in fuga fui: tergum inspice.
- Min. Absolvo te isto crimine. insontem probat
 Pacificus animus et nocere hosti rudis. 1095

Tit.	Plerumque sunt hi pessimi in agrestes, nihil Qui adversus hostes moliuntur.	
Min.	iam satis	
	Est nota virtus. plurimi advenient brevi Vecti a Charonte, debitas paenas luent.	
Tit.	Hic causa vincit aequa, iustitia hic viget.	1100
Min.	At vos, labori nata gens, operam seni Locate fesso. sic rei scelerum dabunt Supplicia citius.	
Cory.	grata conditio: placet.	
Tit.	Vltio labore minuet, ad cymbam volo.	
Char.	Iterum duos adduco praestantes viros.	1105
Dec.	Adversa mecum vulnera et clypeum adfero Bello interemptus, hostium plures manu Cecidere nostra. Macedonum strati iacent Perseo decem bis millia fugato.	
Cra.	decus	
	Ingens triumphi Consul adscribet mihi, Qui tot recepi vulnera et nunquam manu Ensem remisi. mortuum clypeus tegit.	1110
Min.	Hi vera Martis pignora. Elysium nemus Colite beati. rusticorum vos metus Fugaxque turba, pabulum Stygio cani Praebete, lepores capere venatu iuvet. Adsint agrestes navitae et ducant ratem, Ne diffluant quiete. vindicta incitet.	1115

Chorus

Iupiter, Hercules, Mars, Nemesis, Providentia

Hercules a Iove contendit, ne Macedonum regnum everti sinat; sed nil impetrat.

Iup.	Nimium superba sceptrta Exosa sunt Tonanti.	1120
	Macedum ruet potestas, Et vincietur auro Persei cruenta dextra.	
Herc.	Sic Herculis nepotes Et clara stirps Achillis Regno excident vetusto? Ah! dura flecte fata.	1125

Mars	Demetrium veneno Rex impius peremit! et Pergami Tyrannum Saxo Eumenem petivit. Nemesis severa, plecte.	1130
Herc.	O dura flecte fata! Nemesis severa, parce.	
Nem.	Inulta non abibunt Tot crimina, et cruore Manus impiata fratris Reposcit ultionem.	1135
Herc.	O dura flecte fata!	
Nem.	Iam puniam rebellem.	1140
Prov.	Reum catena nectat. Ducatur in triumphum Cum liberis revinctus. Custodia impotentem Albana frangat hostem.	
Herc.	O dura flecte fata!	1145
Prov.	Quis fata flexit unquam?	
Iup.	Decreta nemo mutet Et aequa iura caeli; Immota stat voluntas Nec flectitur precando.	1150
Herc.	Parce, o Parens Deorum, Sceptrumque redde Persi.	
Nem.	Non puniam scelestum?	
Mars	Non Roma praeferocem Videbit in triumpho?	1155
Prov.	Aeterna lex: Tonantis Immota stat voluntas.	
Herc.	O dura lex! Tonantis Non flectitur voluntas.	1160

Actus quintus

Scena prima

Perseus, Neon, Evander, Archidamus, P. Lentulus,
A. Postumius Albinus, A. Antonius

Legati a Consule missi deditioem Perseo suadent, sed non persuadent.

Pers.	Nil litteris respondit Aemilius meis, Rediere legati absque mandato domum.	
Neon	Nomen superbus Regis adscriptum pati Non potuit.	
Evan.	an Regem esse te Consul negat?	
Pers.	Epistolam absque regio titulo alteram Statim remisi; forte responsum dabit.	1165
Arch.	An clade fractus unica regno excides?	
Pers.	Victoris arbitrio omnia fere se oppida Iam tradidere, miles elapsus fuga Aut caesus, externae ulla vix spes est opis. Romanus instat hostis, eversum cupit.	1170
Evan.	At nos amici.	
Pers.	exigua quid poterit manus?	
Neon	Obire pro te nemo dubitabit necem.	
Pers.	O fida pectora!	
Arch.	Regium nunquam exue Animum, precamur. forte meliori Deus Causae favebit. at ecce, legati gradum Huc inferunt a Consule.	1175
Pers.	affari placet. Quae iussa victor dictat ac leges mihi? An dignitate regia dabitur frui?	
Lent.	Salvere Persen plurimum Aemilius iubet.	1180
Pers.	Titulus omissus Regis?	
Post.	haud illi locus, Cum regio cesserit omnis in nostras manus.	
Pers.	Immota multis urbibus constat fides.	
Ant.	Vbicunque Paulus arma circumfert, fides Labascit, et sollicitus invadit pavor.	
Pers.	Quae pacis offert munera Aemilius mihi?	
Lent.	Perseus Quiritum se in fidem suaque omnia Permittat et clementiam.	1185

Pers.	sceptra haud feram	
	Nec tempora Diademate incingam mea?	
Post.	Cui regnum ademptum, regiam capitis notam Gerat superbus?	1190
Pers.	praelium adversum mihi	
	Solio paterno moveat et subdat iugo?	
Ant.	Senatui te dede, non cedet male.	
Pers.	Egone mea vestrae potestati omnia?	
	Honore Perseus caret assueto? haud erit.	1195
	Fortuna opes auferre, non animum potest.	
Lent.	Spes nulla, cogi posse suadendo Ducem. Tentanda vis. iam Octavius portum subiit.	

Scena secunda

Theondas, Cleobulus, Ephippus, L. Atilius

L. Atilius Samothracas hortatur, ut Evandrum caede contaminatum insula depellant.

Theo.	Quo verget animus Regis, an secum trahet Cuncta in ruinam, an sortis agnoscat vices?	1200
Cleo.	In servitutem cadere de Regno, nimis Durum videtur.	
Eph.	spiritus Regis gerit, Sit clade quamvis victus ingenti.	
Theo.	minis Romanus urget spemque Ductori facit Certam salutis, cuncta si Populo sua Tradat Quiritum.	1205
Cleo.	finiat Romae dies.	
Eph.	Octavius classem appulit, clausum tenet. Circum sedentur omnia, elabi nequit.	
Atil.	Licebit? in rem pauca praesentem velim.	
Theo.	Licet, profare.	
Atil.	nosne vere accepimus, Samothraces, an falso, sacram hanc esse insulam, Intaminari totam et augusti soli?	1210
Theo.	Sic semper aestimata Samothrace fuit.	
Atil.	Cur Regis ergo crux pollutam Eumenis Violavit homicida impius; quumque omnibus Abarcantur manibus impuri a sacris, Penetalia an vos corpore cruento, rogo,	1215

	Contaminari vestra latronis feri Sinetis?	
Eph.	Evandrum innuit caedis reum Prope perpetratae.	
Cleo.	vera memorat. proin placet Adire Regem, ut more maiorum nocens Causam peroret, diluat crimen, satis Si fidere ausit; sin minus templo migret Ac Religione liberet, quaerat via Alia salutem.	1220
Theo.	singula exponam Duci.	1225

Scena tertia

Nepiophylax, Philopompus, Menippus, Irus, Sulpicius, L. Atilius

Nepiophylax se armat contra Romanos; sed pugnis male acceptus et exutus militiam detestatur.

Nep.	Necessitas extrema nunc poscit meas Vires et arma. Persei Regnum labat, Ni fulciatur robore et forti manu.	
Phil.	Parere promptus Regibus semper fui Et tibi fidelis.	
Men.	sic decet magnum virum.	1230
Irus	Ratione qua autem, quo modo Regem eriges?	
Nep.	Clypeis et hastis: nunquid armatum vides?	
Men.	Quid tanta moles? pondus immensum iuvet?	
Nep.	Vt impetu omnes proteram inimicos furens.	
Phil.	Si cadere sic onustus incipias prior?	1235
Nep.	Terram movebo. lapsus involvam omnia Mecum ruina. dum perit mundus, mori Et mihi decorum.	
Sulp.	miles, an saevus gigas Audacter huc incedit et templo imminet?	
Atil.	Adimere lubeat arma. demens est, furiit.	1240
Nep.	Decedite via. vix pati possum moras, Quin cuncta sternam. ferre at auxilium Duci Discriminique eripere mens suadet mea.	
Sulp.	Impelle, nutat.	
Atil.	timeo, ne casu impio Telluris aperiat sinum et nudet Stygem.	1245

- Sulp. Tentabo ferro.
 Nep. abite, vel perimo.
 Atil. heu mihi!
 Nep. Praedixeram.
 Atil. iam vincla constrictum tenent.
 Nep. Quae pestis invasit pedes? haud se movent.
 Sulp. Nunc arma cede, ni dari letho velis.
 Nep. Adeste, socii. tela librentur manu. 1250
 Phil. Quid nos pusilla turba, si magnum pavor
 Iam pectus urget?
 Atil. caedere insanum placet.
 Sulp. Caput ferito.
 Nep. forsane e saxo meum,
 Non carne credis esse compactum caput,
 Cum sic cruentas? heu, perii! cessa, obsecro.
 Proiicio tela; parcite, ah! 1255
 Sulp. redde omnia,
 Clypeos et hastas, spicula, enses et togam
 Vestesque.
 Nep. nudum me ingredi, vobis placet?
 Atil. Moraris? hasta capite frangetur tuo.
 Nep. Infausta tela valete, tu scutum quoque. 1260
 Exutus armis, vinculis etiam exuar.
 Atil. Sint vota rata: depone tunicas.
 Nep. ast togam
 Saltem unicum relinquere, quae miserum tegat.
 Sulp. Precibus libenter supplicum annuo.
 Nep. sic decet. 1265
 Vt arma Dii Deaeque! iam nudus fere
 Omnique forma destitutus, iam rudis,
 Vt prima quondam materia, calco solum,
 Qui copiosus ante bellum istud fui.
 At tu meam sortem quid irrides, puer?
 Traham revinctum: pabulum praebe feris.
 Ignosce, domine. 1270
 Phil. pessimum vendam hostibus,
 Nep. Vt pane saltem satier. o miserum statum!
 Phil. Adeone pauper, deditum ut famulum tibi
 Vaenire iubeas?
 Nep. caeteri comites ubi?
 Phil. Abiere cuncti: terret hostilis furor. 1275
 Nep. Fidos amicos!
 Phil. sic solet fieri.
 Nep. tace,
 Vel te frementi garrulum mergo mari.
 Phil. Dirum stuporem!

Nep. pectus accedit dolor.
Est animus omnia lubricum in casum dare.

Scena quarta

Perseus, Philippus, Evander

Perseus Evandro ultimam necessitatem denuntiat.

Pers.	Te cerno, nate, semper affixum patri: Quam torqueor, quod mecum in exitium traho.	1280
Phil.	Meliora, Superi! malo fortunam tamen Sequi parentis saevam et iratos Deos Quam turpiter deserere in adversis fidem.	
Evan.	Sic Rege genitum, stirpe sic clara editum, Sperare fas est, mente genitori suo Constanti adhaesurum.	1285
Pers.	indoles nati placet. At pauca me tecum agere, nunc sortis furor Poscit supremus.	
Evan.	fare, mandata exsequar.	
Pers.	Libeat silere. caedis accusant reum Hostes cruenti. causa, quod saevas manus Intra sacratos terminos templi nocens Intuleris, est dicenda vel propere insula Cedere necesse.	1290
Evan.	timeo, ne causa cadam, Diluere si connitar haud dubium scelus.	
Pers.	Vix suadeam ego subire iudicium arduum. Non gratiae confidere aut causae potes.	1295
Evan.	Quid ergo superest? quod mihi effugium patet?	
Pers.	Cuncta tenet hostis. sola mors cladi gravi Properata te subducet.	
Evan.	o dirum malum! Ne Rex periclitetur, an metuam mori? Verum reluctantem exigere ferro haud lubet Animam, veneno potius invitam extraham.	1300
Pers.	Nil interest, quo fata praevenias modo.	

Scena quinta

Evander, Doryphorus, Cleobulus, Ephippus, Neon

Evander ambages nectens percussore immisso trucidatur; quo facinore omnes a Perseo abalienantur.

Evan.	Hoc praemium servata ad extremum fides A Perseo reportat? haec merces datur Constanti amico? Regibus posthac volet Praestare quisquam obsequia? quo traxit furor? Quo triste miserum Numen Evandrum impulit? Ambitio praeceps scelera quae suasit mihi, Regi ut placerem? crimen est notum satis In Eumenem, quem Persei iussu ferox Delphis parabam tradere insidians neci. Haec causa. moriar? Perseus mortem imperat. Mandata cruda. haud moriar: evadam fuga.	1305
	Mandata cruda. haud moriar: evadam fuga. Metus subest, ne protraham in lucem reum Sceleris nefandi. caedis indicium timet.	1310
Dory.	Abscindere omnes mortis ignavae moras Rex iubet et imperata non lente exsequi.	
Evan.	Ergo negatur tempus exiguum mihi?	1315
Dory.	Necessitas suprema sic urget Ducem.	
Evan.	Sumo venenum.	
Dory.	trepidat ingenti metu Imbellis animus.	
Evan.	heu nimis laevos Deos!	
Dory.	Hauri venenum.	
Evan.	vita si redeat semel Amissa.	
Dory.	quid moraris?	
Evan.	est miserum mori.	1320
Dory.	Occumbe ferro: nullus effugio locus.	
Evan.	Regum favorem lubricum! instabilem fidem!	
Dory.	I, querere Diti: Persis imperio iaces.	
Evan.	Furens Tyranne! sic rependis, sic vicem Fideli amico? morior. at Regno graves Perseus adempto facinorum paenas dabit.	1325
Cleo.	Fidus minister Regio iussu cadit? Occisus Evander? quis atroci haereat Posthac Tyranno?	
Eph.	tot periclis - heu! - necat Probatum amicum Regis immanis furor?	1330
		1335

Neon	Tot casibus trucidat expertum virum? Et proditus, quia prodidit nunquam, fuit?	
Cleo.	At nos quid exspectamus, exitio pari Vt occidamus?	
Eph.	hostium potius fidem Malo experiri. trado me Ausoniis volens.	1340
Neon	Me dedo pariter.	
Cleo.	promptus exemplum sequor.	

Scena sexta

Perseus, Philippus, Doryphorus, Archidamus

Rex noctu per hortos diffugiens, ab Oroande Cretensi, qui navim promiserat, destitutus regredi cogitur.

Pers.	Cruore laesa sanctitas fuso loci. Delapsus in idem crimen imprudens fui, Quo noster Evander petebatur. fugae Consilia nunc tutissima. ad Thracas lubet Cotymque, Luna dum favet caeptis, vehi.	1345
Phil.	Sequar parentem in ultimas terrae plagas. Dum vita superest Regis, in tuto omnia.	
Dory.	Toto vagatus littore, Oroandem tamen Navimque nusquam repperi. cymba est quidem Conspecta in alto. perfidum pridem arbitror Solvisse et abstulisse thesauros tuos.	1350
Pers.	Sic ludor ac relinquor? Oroandes fugit?	
Arch.	Multum timebam. nulla Cretensi fides.	
Pers.	Quid nunc agendum credis afflito mihi?	1355
Arch.	Repetamus aedes, ne hostis advertat, fugam Tentasse. Religione te templi sacri Poteris tueri.	
Pers.	pollui Evandi locum Sanguine.	
Arch.	sua cecidisse corruptus manu Spargit Theondas.	
Pers.	anne servabit mihi, Qui debitam auro vendidit patriae fidem? Quam metuo! sed referre iam praestat gradum, Consilia ne sol prodat exoriens mea.	1360

Scena septima

Praeco, Amyntas, Craterus, Lysimachus
Cn. Octavius, Ion, Alexander, Clyte

Regii pueri Cn. Octavio se tradunt; et Ion liberos regios Alexandrum et Clyten dedit.

- | | | |
|--------|---|------|
| Praec. | Mandata non surda aure Romani Ducis
Percipite cuncti. edicere haec vobis iubet.
Quicunque pueri regii Persen sequi
Et qui Macedones usque Samothracum insulam
Voluere, si transire ad Aeneadas lubet,
Prompta incolunitas, salva libertas erit.
Quae secum habent et quae reliquerunt domi,
Huc dum appulere, cuncta servabunt sibi. | 1365 |
| Amy. | Deserere Regem cogor invitus licet.
Cessere Proceres. nostra quid possit cohors? | |
| Crat. | O maesta fata! a Rege divelli grave. | |
| Lys. | Sedare gemitus praestat et sortem asperam
Tristemque casum mente tranquilla pati. | 1375 |
| Crat. | Necessitas suprema nos dedi iubet. | |
| Amy. | Regem secuti, quamdiu licuit, sumus,
Ne rumperemus, quam semel dedimus, fidem.
Submittimus nunc omnia imperio tuo,
Nos nostraque; animos fregit adversus Deus. | 1380 |
| Oct. | Confide, pubes inclyta stirpe edita:
Romanus hostes vincere armatos solet
Et deditis ignoscere; attritos fovet,
Sternit superbos. nil grave aut durum imminet. | 1385 |
| Ion | Ite, miseranda Persei proles, genu
Curvate supplex, tendite innocuas manus;
Tu prior, Alexander. Clyte, vestigiis
Insiste fratris. victor, insontem vides
Omnisque culpae nesciam aetatem: precor, | 1390 |
| | Admitte facilis, nec patris natos premat
Fortuna, seu crimen erit aut praeceps furor. | |
| Alex. | O magne Ductor, genibus advolvor tuis:
Miserere stirpis regiae, imbellem fove. | |
| Clyt. | A te recepta generis haud damnum feram,
Populo Quiritum grata si dicar cliens. | 1395 |
| Oct. | Ne metue, proles Regia. insontes scio
Semper tueri. Persei haud oberit dolus. | |

Scena octava

Perseus, Philippus, Cn. Octavius

Perseus e templo digrediens, se et filium Philippum Cn. Octavio permittit.

- Pers. Quantum malorum fronte quam blanda tegis,
Regni libido? Tyrius invitat nitor;
Arcana mentis saevus exurit dolor.
Superba sceptra praefferens terret manus;
Intus pavores lancingant, curae premunt.
Diadema cingit verticem, fulvum caput
Circumdat aurum; mille fallaci latent
Specie furores, insidiae, fraudes, doli.
Me, me videte, quem impulit fulgor togae
Murico rubentis, unicum ut fratrem meum
Tollere veneno suaserim infelix patri.
Quid non labore, quid arte molitus fui,
Regno ut potirer? lubricum invasi thronum.
Regnare poteram dives et multos dies,
Si sorte contentus mea alienas opes
Non spe vorasse. liberas dum urbes peto,
Romam laccesso, vincor ac Regno excido. 1400
- Phil. Animum resume: sceptra restituet brevi
Paterna caelum. 1410
- Pers. nate, vix aequos Deos
Sperare possim. 1415
- Phil. multa sed pietas iubet.
- Pers. At fata Romam culmen ad summum evehunt
Inimica nobis. caeca caligo Ducum
Obnubilavit hactenus mentem omnium.
Sic nempe suevit, Regna cum mutat Deus. 1420
- Phil. Nondum, parens, postremus illuxit dies.
- Pers. O chara proles, ultimus luxit dies
Regno Macedonum. cernis, ut soli hic duo
Simus relicti. o nate, pondere quam gravi
Depressa mens! heu, mole luctifica obruor!
Ergone nullam supplici praebent opem
Dii praesides, quorum miser templa incolo?
Fortuna sic destituit? ast Numen pius
Munere frequenti veneror ac aras sacras. 1425
- Phil. Sperare liceat, rebus afflictis fore
Superos secundos. 1430

Pers.	nulla nos pietas, favor	
	Nullus Deorum lege fatorum eximent:	
	Necessitati cedam ineluctabili.	1435
	Nate meliori digne fortuna, patrem	
	Sequeris coactus, cymba maiorem minor	
	Vt saepe solet et naufragio eodem perit.	
Phil.	Revocare Regnum morte sublatum velim.	
Pers.	Nos ergo dedam?	
Phil.	Numen iratum iubet.	1440
Pers.	Permitto me Regnumque Populi arbitrio	
	Romani et Augusti Senatus; ac precor,	
	Vt liberos clementer insontes alant	
	Solique belli crimen adscribant mihi.	
Oct.	Populus vereri Regium novit genus:	1445
	Non dura prolem servitus franget tuam.	

Scena nona

L. Aemilius, Sempronius, P. Scipio, Q. Aelius Tubero,
Marcius, Sulpicius, Perseus, Philippus

Perseus deducitur ad Consulem L. Aemilium ac benigne habetur.

Aem.	Praetorium voca Tribunos ad meum;	
	Non parva res agetur.	
Semp.	huc Octavius	
	Person remittit deditum fidei tuae	
	Populique Romani.	
Scip.	alterum partum decus	1450
	De Rege victo. ita omnia Aemathiae iuga	
	Cessere nostris iuribus.	
Aem.	Tubero Ducem	
	In castra captum ducat.	
Tub.	imperium sequor.	
Marc.	Secunda spirat aura. iam portum tenet	
	Carina, Consul; omnia ad nutum fluunt.	1455
Aem.	Sortem timebis prospero saevam in statu.	
Sulp.	At ecce, Perseus, fletibus vultum rigans.	
Aem.	Iniuria qua laesus, Aeneadum ferox	
	Populo intulisti bellum, ut extremo tuum	
	Exponeres discrimini Regnum? minus	
	Mirarer equidem, aetate si tenera admodum	1460

- Sceptra occupasses, quam gravis Populus foret
 Romanus hostis aut amicus quam potens,
 Nescire te. nunc pace, nunc bello patris
 Expertus es constantiam, vires, fidem
 Et provocare Marte voluisti tamen. 1465
- Phil. Fortuna nos evertit et caecus furor.
 Aem. Vtcunque, sive errore seu casu aut gravi
 Necessitate haec inciderunt, te bono
 Animo esse iubeo. casibus multis Ducum
 Populi Quiritum cognita est clementia;
 Fiducia prope certa, non modo spes tibi
 Restat salutis. 1470
- Phil. o iuvet rector poli!
 Aem. Insigne sortis cernere exemplum licet,
 Regis potentis flebilem cladem nimis.
 Sic magna Regna corruunt, surgunt nova,
 Peritura rursum, ut lege praescriptum Iovis.
 Tibi iuventus ista, praecipue ingero,
 Experta nondum, humana quot casus rotent.
 Rebus secundis nemo confidat nimis,
 Nec impotenti quempiam fastu premat.
 Nescimus orto sole, quid vesper vehat.
 Vir demum erit, secunda quem nunquam efferent
 Nec depriment adversa. sunt rerum vices,
 Versatur orbe lubrico inconstans Dea. 1485

Chorus

Providentia, Virtus, Mars, Tempus, Iustitia, Gloria

Divina Providentia, Superis adstipulantibus, nihil stabile in rebus humanis canit; imperia casibus obnoxia, nunc mutari, nunc everti, ut supremae menti placitum. Virtutem tamen nunquam occidere, semper soveri.

Prov.	Nil constans sub sole perennat, Fluminis instar cuncta feruntur. Culmine ab alto nunc Regna cadunt, Nunc nova surgunt, ruitura brevi. Sed stabili mens provida volvit Omnia nutu.	1490
Vir.	Sola ruinam trepidi Virtus Effugit orbis, nescia casus.	
Mars	Diruo, vasto, sterno, trucido, Cum magni urgent iussa Tonantis.	1495
Tem.	Tempus et horae, sidera, stellae Ordine currunt semper eodem; Vario motu Regna rotantur.	
Vir.	Nemo maestos tribuat casus Sorti aut placidae gaudia mentis! Regitur fatis genus humanum.	1500
Iust.	Paena scelestis imminet atrox, Praemia iustis digna rependit Iupiter aequus.	
Glor.	Aethere celso Gloria venit, Quae Virtutis fronte relucet.	1505
Prov.	Munere Divum Tyrio mitis Fulget in ostro. Crimina saevo munere pensat Arbiter orbis.	
Glor.	Gloria meritis semper adhaeret. Fata volunt et iussa Tonantis, Aeterna qui sidera, terras Lege gubernat. Inclyta dirum Persea vicit	1510
	Roma, triumphet.	
		1515

<Finis>

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt der Erstdruck von 1683. Das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar (www.uni-mannheim.de/mateo/camena/retten1/te04.html).

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktum wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* sowie *-ae-* statt *-oe-* (891 *caepta*, A5 *faetus*, 913/936 *maesta*, 39 *Phaebus*, 16/1502 *paena*), *caus-* statt *causs-* (113, 398, 476, 487, 651, 899, 1100, 1176, 1222, 1291, 1294, 1297, 1314), *nunti-* statt *nunci-* (v1280), *Sulpicius* statt *Sulpitius* (Darstellerverzeichnis, v570). Groß geschrieben wurde: *Dux/Ductor* (55, 104, 322, 336, 353, 362, 418, 637, 644, 694, 727, 737, 749, 1393), *Fama* (768, 776, 782, 786), *Populus* (A6, 41, 74, 1205), *Rex* (v114, 487, 626, 655, 658, 1181, 1229, 1231) sowie A20 *Religione*, A26 *Consulem*, v285 *Proceres*, 419 *Tonans*, 433 *Phaebus*, 484 *Senatus*, 509 *Spes*, 532 *Tempus*, 551 *Tribunis*, 723 *Imperatori*, 902 *Stygem*, 1115 *Stygio*, 1152 *Parens*, 1177 *Consule*, 1245 *Stygem*, 1373 *Proceres*, 1430 *Numen*, 1447 *Tribunos*, 1492 *Virus*, 1505 *Gloria* und im Darstellerverzeichnis *Caupo*, *Praefectus*, *Satelles*, *Venefica* (uneinheitlich groß belassen wurden im 'Argumentum', Darstellerverzeichnis *Filius*, *Pueri*); klein dagegen: A2 *provinciae*, v1 *divina*, 239 *blanda*, 265 *enses*, 280 *spicula*, 386 *placet*, 398 *rhetor*, 465 *virgo*, v471 *gentium*, 500 *soror*, v840 *victoriā*, 936 *virgo*, v975 *urbes*, 988 *legati*, 988 *urbium*, 1496 *horae*. Darsteller und Inhaltsangabe wurden vor den Szenen in umgekehrter Reihenfolge abgedruckt; bei der Darsteller-nennung wurde dem Auftritt nach geordnet statt 1,2 *PDAAndAntENAr*, 1,4 *NiCO AndAntNeP*, 1 Chor *MaMuATP*, 3,1 *AScFMSuPSe*, 3 Chor *VirMVisFG*, 4 Chor *IMHNP*, 5,6 *PePhAD*, 5,7 *PO AmCrLIAICl*, 5,9 *AScPePhTMSeSu*. Bei den Sprecherabkürzungen wurden die Praenomina wie *A.*, *Cn.*, *L.*, *P.*, *Q.* weggelassen, 698 *Ari.* statt *Art.* und 850 *Hipp.* statt *Hyp.* verbessert.

97	<i>suetus</i> statt <i>suetns</i>
278	<i>fabricemus</i> statt <i>fabricemns</i>
343	<i>curre</i> statt <i>eurtre</i>
780	<i>sternet</i> statt <i>sterner</i>
945	<i>rursus</i> statt <i>rnrsus</i>
1014	<i>exscindet</i> statt <i>ex scindet</i>
v1486	<i>canit</i> statt <i>eanit</i>

'Komma' gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: A1, A4, A4, A6, A6, A9, A14, A16, A19, A21, A27, v1, 31, 35, v37, 41, 41, 45, 65, 68, v72, 84, 87, 98, 102, v114, 114, 131, 132, 136, 142, 143, 151, 153, 154, 156, 160, v165, v165, 165, 174, 176, 178, 179, 190, 192, 193, 201, 206, 207, 213, 214, 217, 218, 225, 228, v247, 259, v285, v285, 286, 290, 291, 293, 299, 311, 326, v331, 340, 364, 367, 370, 376, 378, 387, 388, 391, 399, 403, 407, 413, 414, 432, v433, 434, 442, 446, 448, 450, 456, 460, 461, v471, v471, 473, 488, 493, 497, 507, 508, 515, 517, 548, 553, 554, 561, v570, 573, v588, 589, 591, 596, 597, 602, 604, 605, 613, 620, 623, v636, 645, 654, 654, 654, 656, 671, 677, 683, 686, 709, 710, 711, 714, 737, 742, 744, v754, 755, 765, 772, 795, v806, 808, 815, 822, 824, 839, v840, 842, 847, 856, 862, 868, 871, 873, 876, 879, 890, 896, v904, 916, 932, v941, 941, 944, 959, 967, 973, 981, 984, 989, 990, 999, 1007, 1008, v1025, 1035, 1042, 1048, 1054, 1059, 1061, 1064, 1065, 1071, 1077, 1089, 1095, 1106, 1111, 1117, 1124, 1148, 1150, 1178, 1188, 1192, 1204, 1223, v1226, 1227, 1228, 1229, 1239, 1242, 1245, 1257, 1257, 1257, 1265, 1283, 1283, 1293, 1319, 1345, 1349, 1352, 1366, 1370, 1375, 1381, 1383, 1385, 1392, 1412, 1415, 1431, 1438, 1441, 1442, 1443, v1447, 1463, 1465, 1467, 1468, 1468, 1500, 1512

'Komma' gestrichen nach: 333 *profari*, 334 *omitte*, 443 *crudele*, 699 *furet*, 860 *servare*, v904 *cecidisse*, 957 *reor*, 974 *retractos*, 1296 *ego*, 1464 *patris*

'Komma' ergänzt: A4 *Filius*, A14 *et*, 5, 175 *mare*, 199, 231, 236, 237, 237, 247 *Mulciber*, 257, 271, 286, 311 *et*, 314, 370, v433 *et*, 449, 493 *confide*, 559 *Ductor*, 644, 649 *huc*, *cohors*, 649 *praeclaras*, 657, 660, 669, 685, 701 *cura*, 713 *huc*, 717, 717, 720 *abi*, 721, 730, 738, 751, 778, 778, 786, 786, 832, 833, v904 *Callinice*, 923, 950, 965 *Legate*, 979 *sicut*, 1021, 1022 *Legati*, 1042, 1042, 1042, 1051 *citato*, 1066, 1072, 1101 *vos*, 1134, 1176, 1250, 1253, 1255, 1255, 1256 *parcite*, 1269, 1271 *ignoscere*, 1282, 1382, 1386 *ite*, 1388, 1388, 1393, 1399, 1407 *me*, 1425, 1427, 1457 *ecce*, 1473, 1478 *ista*

'Komma' statt 'Punkt': 762 *micant*, 768, 963, 1276

'Komma' statt 'Doppelpunkt': A15 *esset*, 9, 93, 118, 159, 221, 297, 304, 325, 327, 350, 420, 609, 665, 747, 748, 778, 845, 891, 956, 962 *profugi*, 981, 1022 *urbes*, 1161, 1169, 1170, 1484, 1486

'Komma' statt 'Strichpunkt': A7 *adgredi*, 75, 87, 90, 177, 187, 296, 315, 316, 624, 632, 1063, 1378 *sumus*

'Punkt' ergänzt: 30 *Philippi*, v165, 171 ..., 187, 365 *Archilogus*, 370, 386, 477, 551, 569 *nimas*, 1041, 1072, 1473

'Punkt' statt 'Doppelpunkt': 380, 412 *tollam*, 645, 741, 950, v1025 *iudex*, 1047, 1220, 1379, 1414

'Punkt' statt 'Strichpunkt': v331 *diffugiant*, 578, 585, 613, 1049, 1470

'Punkt' statt 'Komma': 261, 495, 574, 640, 708, 1027, 1340 *volens*, 1388

'Strichpunkt' ergänzt: 583

'Strichpunkt' statt 'Punkt': 1045, 1059, 1092

'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': A5, A10, A22, A26, v37, 50, 52, 61, 106, v114, 119, 143, 168, 186, 227, 276, 292, 313, v331, 349, v433, 435, 451, v471, 540, 622, 628, 637, 702, 743, 769, 796, v840, 849, 863, 887, 909, 927, 943, 1013, 1016, v1025, 1036, 1050, 1057, v1119, 1149, 1166, 1215, 1223, v1305, v1364, 1384, 1455, 1497

'Strichpunkt' statt 'Komma': 123, 271, 287, 405, 449, 644, 660, 676, 960, 972, v1226, 1256, 1381, 1387, 1447

'Doppelpunkt' gestrichen: 11 *arma*

'Doppelpunkt' statt 'Komma': 5, 1382, 1393

'Fragezeichen' statt 'Doppelpunkt': 255

'Ausrufezeichen' statt 'Doppelpunkt': 1133

'Gedankenstriche' ergänzt: 438, 869, 924, 1334